

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit

Fecht, Johann

Durlaci, 1680

XXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

collectoris alienas, & quod dolendum est, spinosas atque inutilis, quales otiosis Monachorum speculationibus conveniebant, dilabendi occasionem dederit. Ea tamen, quæ nos ex magnâ Commentariorum mole excerptimus, insigne nobis subinde in hac materiâ præstabunt emolumentum.

XXIII. Post salutarem Ecclesiæ Reformationem ex fundamento S. Literarum in utramque partem, tanquam de re, fidem non concernente, à Theologis disputatum est. De Lutheri sententiâ, quantum ego scio, haud indubiè constat. Maximam infernalium pœnarum partem terrores conscientiæ esse, sæpius asseruit, quod ab adversariis in calumniam tractum est. In Expositione cap. II. Jon. Tom. Jen. III. p. 212. b. ita loquitur: Wann die Teuffel in der Höllen wären/so könnte es nicht seyn/das sie die Welt regiereten/und so viel Düberey und Jammer trieben/die Pein würde ihnen wol wehren.

XXIV. In cæterorum sententiis recensendis ætatis rationem habebimus. Petrus Canisius, è Soc. Jesu Theologus, qui opus Catecheticum scripsit Friburgi Helvetiorum, A. O. R. M. D. LXXXV. de Quatuor Noviss. Qu. IV. §. 77. cum Innocentio III. utrumque approbat: *Damnati blasphemant DEUM; &: Habent voluntatem peccandi, potestatem non item.* Gregorius de Valentia, Metimnensis, ex eadem Societate, Ingolstadiensis Professor, Commentarior. Theol. Tom. I. Disp. IV. Q. XV. Punct. II. quærit: *quæ sit dæmonum conditio, quoad voluntatem?* & inter alia responderet: *Secundo, certum est, demones & omnes alios damnatos, ita quoque obstinatos esse in malo, ut continenter exercent actum quendam malum impatientia & acerbissimi odii Dei, nec possint ab eo, moraliter loquendo, cessare.* Id quod deinde S. Literarum & consensus Ecelesiastici auctoritate confirmat.

XXV. Zacharias Schilterus & Burchardus Harbardus, Theologiæ in Academia Lipsiensi Professores, capita pura & incorrupta doctrinæ Christianæ primaria, ex immotis & perspicuis S. Scripturæ fundamentis extracta, ediderunt Ann. M. D. XCVIII. In Disp. de Morte æternâ §. XVI. profitentur, eandem complecti oppositam beneficii salvatorum extremam naturæ humanæ malitiam, caliginem scilicet mentis & tenebras densissimas, à πικρία, sensum iræ Dei adversus peccata acer-